

cies animalium, exceptis piscibus. vide hic D. *Heinrici Höpfneri Logic.* lib. *πρὸς ἐπιμνηστικὰς* p. 541. seqq.

20. *Si in baptismo formale peccati tollitur, etiam ipsum peccatum tollitur. (ratio: forma dat esse rei.)*

*Sed in baptismo formale peccati tollitur.*

*E. in baptismo ipsum peccatum tollitur.*

Resp. negatur consequentia. Nam *forma in Majore* sumitur *pro substantiali*, de qua universaliter verum est, ejus destructionem sequi rei destructionem: *dat enim rei essentiam.* Sed *in minore* fit sermo de *accidentali forma* peccati respectivè sumpti, nempe de reatu peccati. Ergò sunt quatuor termini. *Scharf. Logic.* p. 220. Manet igitur peccatum quoad *materiale*, quod usitatè nominatur *concupiscentia*: Remittitur autem & tollitur in baptismo, quoad *formale*, quod appellatur *reatus*. Ideòq; Paulus Rom. 6. v. 12. *Ne regnet, inquit, peccatum in mortali vestro corpore*, non ait: *ne sit, sed, ne regnet*, scil. eo modo, ut vos illi *serviatis*.